







DE  
LITIS CONTESTATIONE  
CAPITA QVAEDAM

13

1782 5

232

QVAE  
PRAESIDE  
D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO  
K L V E G E L

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

DIE XXIII MART. A. R. S. MDCCLXXXII.

H. L. Q. C.

PVBLICA DISPVATIONE

DEFENSVRVS EST

IOANNES CHRISTIANVS AVGVSTVS THILO  
LONGOSALISSA THVRINGVS.

---

WITTENBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.





BITIS CONTESTATIONE

CAPITA QUARANDA

D. ANTHONII GILLESII CHRISTIANI

IOANNES CHRISTIANVS AVGVSTVS THILIO



## I.

**I**n partes, quae ad litis iudicialis substantiam pertinent, non litis contestatio, sed responsio referenda est.

Quamvis ii, qui de litis iudicialis ordine scripserunt, quot eius sint substantialia, et quatenam partes litis ad ea referenda sint, non per omnia consentiant, nihilo tamen secius sententia inter eos conuenit, reum esse audiendum, eamque ob causam eius responsonem tertium essentialia litis, libello et citatione vt duobus prioribus positus, nominant. Sed ipsa rei natura docet, hoc, et eo quidem ordinis, esse necessarium. Quapropter iuris quoque naturalis doctores rem ita proponunt, veluti Eisenhart in *inst. iur. natur. cap. XVI.* in quo de litis iudicialis principiis ex sola ratione cognoscendis agit, §. 27. 31. et 33. qua postrema et sequentibus responsonis rei pertractat naturam. At enim vero nonnulli ex his, qui, cum ordinem controuersiarum forensium docent, partes litis substantiales enunciant, (multi enim, vt Krause, Griebner, et alii, quae constituunt litis substantiam, plane silent,) hanc tertiam appellant Litis Contestationem, veluti Schwendendörfer fecit ad *Fibigii proc. Cap. II. membr. III. in princ. not. g.* Agmen, quod ipse Bartolus ducit, vid. Hiltrop. in *proc. P. III. tit. I. n. 5.* aliorum, qui coniunctim quidem essentialia litis non describunt, id tamen affirmat, litis contestationem esse substantiale iudicii. Mynsinger in *Obseru. Cent. III. obs. 74. n. 3.* Mencken in *proc. tit. XVI. th. 7.* Nicolai in *proc. cap. XXXVII. no. 6.* Schultes in *obs. for. XIII. n. 6.* vt centum alios taceam. Sed hoc vocabulum litis contestationis nostrates tantum ex forma litium. quae apud Romanos introducta erat, arripuerunt, quorum moribus solemnitatem quandam signabat iuris. Hanc nobis, quae fuerit, non satis cognitam esse, fatetur Heinecc. in *Aut. Jur.*





*Iur. L. IV. tit. VI. §. 42.* quamvis diuersis modis a Sutholdo, Par-  
 ladorio, Obrechtio, quorum opiniones collegit Ziegler in *comm. ad*  
*Ord. Proc. Sax. Tit. XVI. in princ.* Cuiacio in *parat. ad Cod.*  
*Lib. III. tit. 9.* Briffonio *de Verb. Signif. sub voce contestari* et aliis  
 res explicetur. Salthim, significasse rei responsonem, vt credamus,  
 ipsa verbi contestationis vetat deductio. Quamobrem, cum hodie  
 vocabulo hoc ea iam vtamur significatione, vt rei responsonem ita  
 appellemus, quamvis id non inconueniens videatur nomen, si de  
 processu ordinario agatur, siquidem in contestatione litis apud Ro-  
 manos pariter solenne quid fuit, atque processus, quem hodie vo-  
 camus, ordinarius cum solennibus coniunctus est, genus tamen hu-  
 ius partis litis substantialis per hanc vocem non recte constitui exi-  
 stimo. *Litis contestatio* enim, ex plerorumque recentiorum scripto-  
 rum sententia, est solennis responso rei ad libellum actoris, Kraus in  
*proc. Lib. I. cap. II. Sect. VII. §. 1.* Barth hodeg. for. *Cap. I. §. 65.*  
 Schilter in *exercit. ad Pand. XIII. th. 33.* Griebner in *proc. L. I.*  
*cap. II. Sect. VI. §. 1.* quibuscum faciant ii quoque, qui eam defi-  
 niunt per responsonem specialem, siue ad singula actionis momen-  
 ta, veluti Ill. Pütter in *consp. rei iudic. imper. p. 43.* cum talis respon-  
 sio aliquid solennitatis in se habeat. Et hoc quidem ex ipsa *Clem. 2.*  
*de V. S.* in qua praecepum summarii processus fundamentum po-  
 situm est, probari puto, siquidem Clemens Pontifex hac lege vetat  
 in summaris causis litis postulare contestationem. Cum enim istae  
 causae per eandem legem tales sint, in quibus siue figura iudicii,  
 quae verba sunt constitutionis, procedi mandat Pontifex, figura au-  
 tem iudicii solennia obseruanda significet, quod simul docemur re-  
 liquis verbis adiectis: simpliciter et de plano ac sine strepitu; quin  
 litis contestatio ad solennia litium iudicialium hac quoque referatur  
 lege, nulli dubitamus. Verum enim vero solennitas actus non con-  
 stituit, si regulam sequimur, eius substantiam, nisi ille forte nun-  
 quam aliter, quam adhibitis solennitatibus, peragi possit, cuius-  
 modi erant quidam, qui Romanis legitimi dicebantur, Ritter *ad*  
*Heinecc. Hist. Iur. Lib. I. §. 46.* et nonnulli ex his etiam sunt, qui  
 hodie in nostris obseruantur negotiis. Si vero actus quidam modo  
 cum solennitatibus, modo sine illis, perfici potest, vtrumque recte  
 atque legitime, distinctis scilicet negotiis, solennia ad eius actus f. b.  
 stantiam





stantiam pertinere nequeunt. neque is potest fieri inutilis ob solennitatis omissionem, nisi negotium eius sit speciei, in quo aliter suscipi atque cum solennitatibus non debebat. Quam ob causam, cum in quibusdam processibus iudicarij speciebus nuda rei responsio sufficiat, litis contestatio autem, ex sententia Doctorum, quorum multos supra laudavi, etiam responsio sit, sed solennis, perspicuum esse arbitror, solennitatem hanc ad accidentia litis pertinere, et essentialia processus esse responsionem quovis modo consideratam. Hoc etiam ab alijs, qui enarrant partes litium substantialia, observatum est, quorum sententiae ob illas rationes subscribere satius est. Pertinent ad hos ipse Carpzovius in *proc. tit. I. art. I. vbi no. 23. 29. 30.* postquam scripsit, in processu summario ea, quae iuris gentium sunt, retineri ac observari debere, adiicit inter caetera, *nunquam haud praeavia rei responsione sententiam ferri debere*, Mencken in *proc. disp. prooemiali §. 39.* quo loco his verbis rem exponit: *iudicium summarium est, observatis saltim partibus iudicii substantialibus; proinde exigitur causae cognitio necessaria, videlicet citatio, actoris qualiscunque facti narratio et petitio, rei responsio etc.* Stryck in *introd. ad praxin. cap. I. §. 14.* Knorre *Anl. zum Proc. in der Vorreiner. §. 6. not. a.* qui vterque loco excitato substantialia processus recenset, responsionemque ad ea refert, et alij forsitan, qui responsionem inter substantialia litis collocant. Illud tamen manifestum est, intelligi in his, litis contestationem suae solennem, et nudam rei responsionem in forma sua differre. Alias, si, quod in multis territoriis consuetudine, (quam Gasser in *posit. pract. Cap. VIII. pos. 3.* quamvis, nisi omnia me fallunt, sine solida ratione, reprehendit,) permixtum est, reus in nulla processus specie ad observandas in responsione sua solennitates cogitur, frustra de discrimine horum vocabulorum, et quo vti debeamus in enumerandis partibus litis substantialibus, disputabitur. Praeterea scriptorum istorum, qui affirmant, litis contestationem ad substantiam processus pertinere, quorum supra nonnullos laudavi, quidam id tantum, si ad descriptionis attendimus connexionem, de ordinario intelligunt processum. quo assumpto, nihil, quod reprehensione dignum sit, restat. Alii tandem, ut deinceps latius expositurus sum, verbis responsionis rei et litis contestationis promiscue utuntur, quos pro-







pterea, si litis contestationem inter essentialia litis ponunt, pro  
notione, quam voci subiiciunt, recte scripsisse non eo inficias.

## II.

Litis contestatio in solennem et minus solennem haud  
commode diuiditur.

Plerique ita diuidunt, veluti Fibig. in *proc. P. I. cap. II. membr. 3. §. XIV.* Carpov in *proc. tit. X. art. II. no. 20.* Mencken in *proc. tit. XVI. §. 3.* Stryck in *introd. ad prax. Cap. XV. §. 2.* Kaestner in *del. proc. Cap. XV. §. 6.* Balthasar in *del. proc. pag. 14.* et complures alii. Verum ea si consideramus, quae capite praecedente demonstrata sunt, nullum fore dubium existimo, quin haec distinctio aliter fieri debeat. Etenim, cum litis contestatio sit aliquid solenne, non potest solenne simul esse non solenne, aut solenne distingui in solenne et minus solenne. Quae cum ita sint, huius rei genus commodius constituetur responsio rei, quam deinde distinguamus in solennem, siue litis contestationem, et non solennem, siue nudam. Ne tamen incuriae quasi accusentur hi, quibus ista placuit distinctio, hoc addendum est, verba ista, litis contestatio, varias admittere significationes. Earum, ni fallor, quatuor inueniuntur, quibus vsi sunt scriptores cum antiquiores, tum recentiores, quarum duae actiones mutuas actoris comprehendunt et rei, duae reliquae solius rei factum indicant. Primo et ab origine signat litis contestatio solennitatem illam Romanam, de qua supra quaedam interieci, hac autem vice amplius non ero sollicitus, cum de ordine hodierno, lites in foro pertractandi, sermo sit. Deinde, quae significatio proxime ad illam antiquissimam accedit, litis contestatio omne id, quod sub initium litis ab utraque parte fit, comprehendit, ut utriusque actiones coniungantur vna voce, ut fere eadem intelligantur, quae iure nostro Saxonico, prouocante actore reoque excipiente et respondente, proponuntur. Ad hanc verborum potestatem respicit Reyger in *proc. disp. V. th. I.* cum hanc eius negotii tradiderit definitionem: *est rei controuersae siue negotii principalis apud iudicem ex utraque parte testato facta narratio.* Testa-



to autem verbum hoc sibi vult, serium litem suscipiendi animum partes declarare. Et in hac explicatione non solum plerique antiquiores Icti consentiunt, conf. Nicolai in *proc. cap. XXXVII. n. 1.* sed ne recentiores quidem, iique Saxones, eam plane reliquerunt. Veluti Bergerus in *Oec. Iur. L. IV. tit. XXIII. th. 1. est*, scribit, *narratio negotii ab actore coram iudice facta, eamque consecuta rei contradictio*, et Mencken in *proc. tit. XVI. th. 1.* et in *Pandect. L. V. tit. I. §. 10.* aliquanto fusius: *est actus, qui actoris negotii narratione atque petitione coram iudice facta, et rei subsequuta contradictione perficitur.* Eadem ratione rem tradunt Struv. in *Iurisprud. for. L. IV. tit. IX. th. 1.* et Brunnemann ad *L. vn. C. de Lit. Cont. n. 4.* in commentario suo ad *Codicem.* Addit descriptioni cum multis aliis Böhrer in *Digest. L. V. tit. I. §. 5. animo litem contestandi.* Quae verbi notio efficit, ut Litis Contestatio affirmatiua diceretur ex parte actoris, ex rei negatiua. Nam actor sibi deberi, affirmat, reus negat se obligatum. vid. Reyger *cit. loc. n. 3.* Gail. in *observ. L. I. obs. 73. n. 2.* Et ea quidem verbi significatio ex ipso iure canonico colligi potest, per *cap. vn. X. de Lit. Cont.* vi cuius per petitionem in iure propositam, et responsonem secutam litis fit contestatio. Quam iuris canonici doctrinam alij etiam ex iure Romano arcesserunt, siquidem Iustinianus *L. 14. §. 1. C. de iudic. iusiurandum calumniae generale praecipiens*, his verbis usus est: *cum lis fuerit contestata post narrationem propositam et contradictionem obiectam, iuramentum praestent*, Hiltrop. in *proc. P. III. tit. I. n. 4.* in quem finem etiam *L. 1. C. de Lit. Cont.* allegari, Nicolai in *proc. cap. XXXVII. n. 1.* et in verbo: *narrationem*, quo vsi sunt legis auctores, *utriusque partis*, subintelligi solet. vid. Gothofr. *ad hanc legem*, et Cuiac. in *observ. L. IX. cap. 21.* Haec autem doctrina, siue eam Romanam Iustinianeam, siue auspicatius, cum in legibus codicis aliquam sentiamus obscuritatem, Caonicam existimes, in Germania quoque inualuit, ut tamen, cum iure canonico illa petitio et responso, quae in litis contestatione secundum eius praecepta sunt necessaria, vno quasi actu, plane scilicet continuo, fieri debeant, petitionem sequente confessim responsonem, Germani responsonem ex interuallo datam etiam admitterent, quam differentiam egregie illustrat *artic. XXXVI. §. 4. ordinis causas agendi Ord. Camer. Imper. anno*





anno 1507. adiecti. Deinde in *Ord. Camer. d. a. 1555. P. II. tit. XIII. §. 4. et Tit. XXXII. §. 5.* ipsa forma, cum, quomodo reus respondere, tum, quemadmodum insistere actor petitis debeat, praescripta est, quas definitas imperii legibus formulas postea in variis legibus a statibus datis repetitas legimus, v. g. in der *Grassch. Solms Gerichts- und Land-Ordn. I. Th. 21. Tit. §. 3. 4.* et, verbis paululum mutatis, in der *Braunsch. Wolfenb. Hofger. Ordn. d. a. 1663. tit. 36. §. penult. et ult.* Alibi saltem repetitionis petiti ex parte actoris, responsionis ex rei parte mentio fit, veluti in *Reform. Norimb. d. a. 1564. I. Th. 6. Tit. 2. Gesch. §. von der Kriegsbesest. Reform. Francfurt. d. a. 1631. P. I. tit. 22. §. 3.* Quia imo antiquiori iure Prutenico per ipsam legem, scil. *L. I. tit. 31. §. 2.* testante Grube in *tract. de proc. cap. XIII. §. 1.* in hunc modum definitur litis contestatio, quod sit de re controuersa vtriusque litigatoris apud iudicem testato facta narratio, affirmationem seu petitionem vnius, et responsionem seu contradictionem alterius litigantis continens. Ex his omnibus satis apparet, secundum harum legum scriptorumque sententiam, litis contestationem non absolui sola rei responsione, sed, vt omnia recte se habeant, opus esse, vt actor quoque, quicquid petierit, repetat. Cum vero postea in controuersia fuisset, vtrum affirmatiua actoris litis contestatio sit plane necessaria, et, ea ommissa, inutilis causae tractatio, vicit opinio, vt, etiamsi reus solus litem esset contestatus, ea tamen recte contestata haberetur, Gail. in *Obs. L. I. obs. 73. n. 3.* dummodo libellus contineret petitem et huic contradicium fuerit, cum litis contestatio in primis per contradictionem petito factam peragi censeretur. Id. *eod. loc. n. 8.* Siue hoc, siue, quod modus causas agendi in iudiciis imperii obseruandus paulo inllecteretur, consilio et opera Augustini Strauchii, in Saxonicum, Leyser in *medit. ad Pand. Spec. XXXVI. med. 2.* in causa fuit, vt in *Rec. Imp. nouiss. siue d. a. 1654. §. 35. seqq.* ista antiquitas praescripta litis contestationis forma sileretur, quamuis positiones permittit quodammodo litis contestationis isto veteri sensu sumtae vices subiisse videantur, de quo varie sentiunt Icti. vid. Gail. in *Obs. L. I. obs. 73. n. 7.* Carpzov. in *defin. forens. P. I. conf. X. def. 4. 5.* Coler. *ad rubr. X. de Lit. Cont. n. 4.* Hinc factum quoque est, vt in aliis, recentioribus praesertim, legibus statutiarius litis





litis contestatio non vtriusque partis factum, sed solius rei nominaretur, vt in *Statut. Hamburg. I. Th. tit. 27. Ord. Proc. Mühlthuf. P. I. tit. IX. §. 3. et aliis.* Hoc itaque modo litis contestatio accipitur pro sola rei responsione. Referendus huc est, quam legem prouincialem loco omnium, quod ad huius causae definitionem attinet, allego, locus in *Project des Cod. Frideric. III. Th. tit. XI. vbi §. 2.* haec legimus: durch die Litis Contestation verstehen Wir, daß der Beklagte klar und deutlich auf die Hauptsache antworten müsse, dergestalt, daß man daraus vernehmen könne, ob er der Klage geständig sey oder nicht. Et haec quidem verborum, Litis Contestatio, significatio, quae tertia est, qua plane transgreditur in eam, qua diceret rei responsio, obtinet quoque secundum ordinem litium agendarum Saxonicum, non Electoralium tantum prouinciarum, sed etiam communem. Primo enim patet, in legibus antiquioribus Saxonice verba, litis contestatio, non inueniri, et inueniri vix posse. Vti itaque verbo: Antwort, sunt auctores des Landrechts und Richtersteigs. Nam illa quoque: Kriegs-Befestigung, latina: litis contestatio, transferendo confecta, recentioris sunt aetatis. Deinde iure Saxonico non certa quaedam solennitas obtinuit ab vtraque parte obseruanda, quae cum litis contestatione conueniret, illo sensu sumpta, de quo modo disseruimus. Itaque, qui insequentibus temporibus res exercebant forenses, cum viderent, in litis contestatione simul inesse rei responsionem, et confunderentur postea paulatim iura Romana et Canonica cum Germanicis, nominibus ex illorum iurium legibus inprimis ad negotia Germanica applicatis, ista vocabula pro synonymis habuerunt, et vtroque vti sunt promiscue. Quamobrem vix aliter poterat euenire, quam idem in mores transfuisse eorum, qui praecipua ordinis iudiciorum scriptis tradebant. Prouocare ad eam rem demonstrandam ad iam antiquiores et obsoletos quasi possum. Ita enim de Rothschütz in *proc. art. 9.* in quo de peremptoriis agit exceptionibus, in hunc modum scribit: die müssen nach der Contestierung des Kriegs, und also nach der Antwort eingebracht werden, et Goldstein in *enchir. proc. Parte II.* sub titulo germanico: von der Antwort, in expositione huius rei latina semper vtitur vocibus: litis contestatio. Qui auctores cum ante scripserint, quam Augustus Elector constitutiones ederet, ille scilicet

B

ineunte







incunte seculo XVI. hic in ipsius medio, (taceo enim alios, qui cum latine tantum scripserint verba litis contestationis pro voce responsionis posuerunt,) mirum non videbitur, in elaborandis Constitutionibus Saxonice IX. X. XI. Parte I. quarum X. in primis de responsione rei agit, etiam verba: litis contestatio, quae in ipsa illa constitutione per verbum: antworten, explicantur, placuisse, quamuis in *Ord. Cur. Supr. Lips.* quam ao. 1548 Mauritius dedit, adhuc solum illud theodiscum Antwort in *Tit. von den Sportulis* et wie die *Exceptiones* vorzubringen, inueniatur. Nam Icti etiam, qui tunc erant, Wittenbergenses in *illustr. quaest. var. controu. decis. Elest. Augusto exhib.* (quas consulat. Saxonice appellari moris est) *P. V. cas. 49.* ob die gemeine litis contestatio negatiua abzuthun, und Beklagte schuldig seyn sollen, in specie anzuzeigen, wie weit sie der Klagen Inhalt geständig; responderunt: dieselbe *Litis Contestation* hat ihren Nuz, darum möchte man sie zulassen, in qua sententia confirmanda argumentum duxerunt a generali libello, qui, reo non contradicente, permitteretur. Sed extra Saxoniam quoque, quamlibet rei responsionem pro litis contestatione habendam esse, complures docent Doctores, ex quorum numero est Meuius in *decis. P. II. dec. 335. n. 2.* Quin, si perpendimus ea, quae a plerisque scripta sunt, qui rem non ex iure Saxonico exposuerunt, cum differentiam ponunt inter litis contestationem et simplicem responsionem, fere tota res eo redit, vt in illa adiuciantur verba: animo litem contestandi; quibus omissis eadem responsio simplex esset. vid. quos Berlich in *conclus. P. I. concl. 26. n. 22.* citauit. Hinc formula solennis concepta est: saget, in Gemüth und Meynung den Krieg Rechtens zu befestigen, quam inuenimus apud Stryck. in *introd. ad prax. cap. XV. §. 5.* Terminum in *proc. cap. 31.* et alios, vel ipsa illa Latina: animo litem contestandi. Termin. *loc. cit.* Schwanmann de *proc. cam. L. I. cap. 43. n. 38.* Ex eodem enata quoque protestatio, fieri responsionem non animo litem contestandi, si reus se tutum exceptionibus sperabat. Hiltrop. in *proc. P. III. tit. I. rubr. de modis n. 16.* Termin. *d. loc.* In quo tamen non plane omittere possum, istam clausulam siue formulam: animo litem contestandi; cum *Ord. Cam. Imp. d. a. 1555. P. III. tit. XIII. §. 4. verbis:* ob auch der *Litis Contestation* nicht ausdrücklich Meldung



dung geschehe, tum multorum imperii statuum legibus omnino non  
 necessariam haberi, eandemque ob causam, vel quod, in illa nul-  
 lam inesse virtutem, recte crederent, in inutilibus eam multi posue-  
 runt Doctores, rati, ex rei responsione animum contestandi litem  
 praesumi. Gobler im Proceß 5. Cap. Hiltrop. in *proc. loc. laud.*  
*n. 5.* Nicolai in *proc. cap. 37. n. 15.* Ludouici *Civil-Proc. XIII.*  
*Cap. §. 9.* cum aliis ab hoc excitatis. Singulare est, quod, narra-  
 te Hiltropio, per statuta Colonienfia est constitutum, quo sola qui-  
 dem responsio pro litis contestatione est, non tamen ob eam cau-  
 sam, quod litis contestationem legem ferentes non habuerint pro  
 necessaria, sed quia praeceperant, vt omnis causa summarie in iudi-  
 cio perageretur. Sed de his quidem satis. Redeo ad illam, de  
 qua sermo fuit, litis contestationis significationem. Vidimus, istam  
 affirmantem actoris, olim necessariam, deinde ad superfluas reie-  
 ctam fuisse solennitates. Quamobrem complures ICtū Litis Conte-  
 stationem nude explicant per responsionem rei ad actionem siue li-  
 belli contenta. Ill. Eisenhart in *Iur. Germ. L. IV. tit. VII. §. 1.*  
 Carpov. in *proc. Tit. X. art. II. n. 1.* Beyer in *posit. ad Pandect.*  
*L. V. tit. I. pos. 136.* Wernher in *comp. iur. L. IV. tit. X. §. 1.*  
 (inuitus fere. Nam in *manual. Pandect. L. V. tit. I. §. 3. vulgo,*  
*scribit, pro sola responsione rei ad libellum accipitur.) Engau in*  
*Iur. Germ. L. IV. §. 93.* Ludouici in *doctr. Pand. L. V. tit. I. §. 32.*  
 Gasser in *posit. proc. Cap. VIII. pos. 2.* Nec desunt antiquiores,  
 quibus eadem placuit sententia. Ita Fibig. in *proc. Cap. II. membro*  
*III. §. 14.* verbis responsionis et litis contestationis vt synonymis  
 vsus est, et Termin. in *proc. cap. XXXI. haec affirmatio, scribit,*  
*vel negatio. si reus respondet libello, appellatur litiis contestatio.* Quin-  
 imo huic opinioni omnes, qui lites decidunt, fauent, cum in sen-  
 tentiae exordio, quantumuis solennis peracta sit responsio siue Litis  
 Contestatio, scribunt: auf Klage, Antwort (non: Kriegs-Besest-  
 lung) etc. Ne ii quidem omittendi, qui litis contestationem nomi-  
 nant solennem rei responsionem, quorum nonnulli supra iam sunt  
 laudati. Quamuis enim hi, ducti notione principe horum verbo-  
 rum, qua sine solennitate quadam fieri non poterat litis contesta-  
 tio, eam solennem responsionem appellent, quae est quarta horum





verborum significatio, et hoc modo nudam responsionem exclu-  
 dant, in eo tamen a iure Romano et Canonico discedunt, vt nul-  
 las actori in ea concedant partes. At enim vero, si in hanc formam  
 accipimus Litis Contestationem, vt fieri puto commodissime, non  
 potest, quod iam probatum dedi, solennis et minus solennis esse,  
 quemadmodum etiam ita diuidi nequit, si ad antiquam eius apud  
 Romanos formam respicimus. Contra ea, si litis contestationem  
 generaliter per rei responsionem, solennis sit, nec ne sit, definire  
 placet, illa diuisio locum sibi bene vindicabit, qua Litis Contestatio  
 solennis a minus solenni disiungitur. Praeterea, hoc modo etiam  
 non incondite affirmatur, quod fecerunt nonnulli, solennem litis  
 contestationem esse rei responsionem in ordinario processu, in sum-  
 mario minus solennem, Fibig. in *proc. P. I. cap. II. membr. III.*  
*§. XIV. Boenigke pract. practicat. P. I. cap. XII. Kaestner del. proc.*  
*Cap. XV. §. 6.* quae harum specierum descriptiones tunc quoque  
 iustae erunt, si litis contestationem fieri dicamus per narrationem  
 actoris et rei contradictionem, quo casu eis vsi sunt alii, Mencken  
 in *proc. ad tit. XVI. th. 3. Balthasar del. proc. pag. 14.* quamuis,  
 vt genus processus enarretur, sufficere, quo perspicua fiat in has  
 species responsionis diuisio, non videatur, cum locus, in quo re  
 uti possumus, non necessarius, sed ex iis tantum sit, quae accident.  
 Neque solennis etiam litis contestatio, licet omitti nequeat in ordi-  
 nario processu, in sumuario est prohibita. Carpzov. in *proc. Tit. X.*  
*art. II. n. 21.* Quamobrem potius, forma praescripta (haec enim  
 ipsa est solennitas) pressim obseruata, solennis erit appellanda.  
 Abeunt ab utraque sententia alii, veluti Stryck, cui distinctio Litis  
 Contestationis in solennem et minus solennem prorsus eadem est, ac  
 illa, qua alia generalis, alia specialis dicitur, minus solennem gene-  
 ralem, specialem solennem appellans, in *introd. ad prax. Cap. XV.*  
*§. 2.* Cum quo fere conspirat Carpzov. in *proc. tit. X.* qui, si con-  
 iungamus *art. II. n. 20.* cum *art. III.* solennem nominat, quae est  
 specialis, non solennem, quae ex quacunque partis contradictione  
 colligitur. Vtrumque coniunxit, cum, quod Carpzov. proposuit,  
 quam Mencken et reliqui supra laudati dederunt descriptio-  
 nem, Krauf. in *proc. L. I. cap. II. Sect. VII. §. 4.* Hos tamen

ICTOS



ICTOS iura Saxonica inprimis habuisse sub oculis, manifestum est. Alibi enim, quae sit Litis Contestationis solennitas, plerumque incertum fere nec satis definitum est.

## III.

Litis Contestatio ita fieri non debet, vt reus ad singula respondeat verba.

Solennitatum litis contestationis haec fere prima est, praesertim iure Saxonico Electorali, *Confl. El. Sax. X. Part. I. Ord. Proc. Sax. Vet. tit. XVI. Recogn. eod. tit. §. 1.* (cum quo tamen aliarum multarum prouinciarum leges, v. Martini in *Comm. ad Ord. Pr. Sax. ad tit. XVI. n. 57 sequ.* quin imo ipse *Rec. Imp. nouiss. §. 37.* conueniunt,) vt sit specialis. Intelligitur autem specialis ea, quae facta est ad singula libelli capita, Carpzov. in *proc. tit. X. art. III. n. 25.* Krauf. in *proc. L. I. cap. II. Sect. VII. §. 10.* Mencken in *proc. ad tit. XVI. th. 8.* Griebner in *proc. L. I. Cap. II. Sect. VI. §. 1.* Ludouici in *doctr. Pandect. L. V. tit. 1. §. 32.* quatenus scilicet necessarium est, vt iudex sciat, eane affirmet reus, an neget, vt itaque, quae ius, argumenta, et ab actione instituta plane aliena continent, vel quibus oratio tantum connectitur, excludantur. Griebner et Mencken. *citt. locc.* Krauf. *cit. loc. §. 11.* Ziegler in *comm. ad Ord. Proc. Sax. ad verba tit. XVI. daß dieselbe in specie.* Barth in *hodeg. for. cap. I. §. 36. not. d.* Nicolai in *proc. cap. XXXVII. n. 19.* Sed debet litis contestatio etiam perspicua esse, quemadmodum non solum ipsius negotii natura videtur postulare, sed omnes etiam isti laudati Doctores cum centum aliis docent, et legibus excitatis praescriptum est. Quae si coniungamus, sequitur, sententiam in quolibet membro, quod litis contestationis sit pars, inesse debere, neque posse reum ita respondere, vt propositiones, quae in libello continentur, non tam disiungantur, quam singulae potius quasi dilacerentur. Quamobrem vitio laborat ea litis Contestatio, qua reus singula libelli verba separat, et ad illa figillatim respondet. Veluti, si quis ita ordinasset orationem: 1. affirmando es siegt 2. negando





ohnfern 3. affirm. dem hiesigem Dorfe 4. aff. ein Teich 5. nesciendo  
 der Münchsteich genandt, 6. aff. in welchem 7. affirm. der hiesigen  
 Gemeinde 8. neg. und jedem 9. nesc. einzelnen Mitgliede derselben  
 10. aff. das Recht 11 neg. zu allen Zeiten 12. aff. zu fischen zustehet.  
 Debebat enim, vt omnia recte se habeant, ita litis contestatio  
 componi: 1. affirm. daß bey dem Dorfe N. ein Teich liegt 2.  
 neg. daß et ohnfern von dem Dorfe liegt 3. neg. daß solcher der  
 Münchsteich genandt wird 4. aff. daß der dasigen Gemeinde das  
 Recht in diesem Teiche zu fischen zustehet 5. neg. daß derselben  
 das Recht zustehet, zu allen Zeiten darinnen zu fischen 6. nesc. daß  
 solches Recht einzeln Mitgliedern derselben zustehet 7. neg. daß es  
 jedem einzelnen Mitgliede derselben zustehet. Multi indignati eius-  
 modi litis contestationem sunt Doctores, veluti Rivinus in *enunc.  
 iur. ad tit. XVI. en. 8.* his verbis: *vitiosa est litis contestatio, quae  
 ita membratim fit, vt in singulis partibus plenus et perfectus sensus  
 haberi nequeat*; Mencken in *proc. Tit. XVI. th. 8.* his: *peccant ad-  
 uocati, libello responsuri, qui τὸ ὁλόκληρον ἑξέλιεν ἀσπείσαντες, et in tot  
 partiunculas libelli capita diuidunt, vt litis contestationis intellectus  
 magis impediatur, quam adiuetur, id quod cum graui taedio, ob  
 miseram illam et inutilem diligentiam legunt, reprehenduntque indi-  
 cantes*; Griebner, qui im *Discurs* über die Sächs. Proc. Ordnung  
 ad verba deutlich *tit. XVI. §. 1. O. P. Rec.* scribit: *es ist auch in-  
 epiffimius modus litem contestandi, wenn man die Klage verbotenus  
 repetirt, und auf jede Worte antworten will, et Illustr. Küstner in  
 animaduersione ad hunc Griebneri locum, his vsus verbis: sondern  
 es muß ein völliger Satz seyn, und besonders das Schlusswort in sich  
 fassen, daher bey Dismembrirung der Klage es so viel möglich also  
 einzurichten, daß ein völliger sensus bey jedem Punkte herauskomme.  
 Itaque eiusmodi responsionem aegre ferentes Icti, quibus res contro-  
 uerlas decidendi potestas data fuit, olim iusserunt reum aliter litem  
 contestari, veluti Scabini Lipsienses ao. 1701. daß Beklagter 2c. an-  
 derergestalt, und richtiger, als geschehen, also, daß in jedem Punkte  
 ein richtiger Verstand sey, zu antworten, und den Krieg Rechtens zu  
 Befestigen, sowohl, weil er solches vorihro nicht gethan, die Unkosten  
 dieses Termins 1c. Klägern zu erstatten schuldig, Rivin. *cit. loc. et*  
 idem*



idem collegium ao. 1705. daß Beklagter ic. anderergestalt, und richtiger, als geschehen, deutlich, ic. und dergestalt, daß bey dem andern und übrigen Punkten ein richtiger Wort-Verstand herauskomme, ic. zu antworten, und den Krieg Rechtens zu befestigen, auch ic. die Unkosten dieses Termins ic. Barth in *hod. for. cap. I. §. 36. not. d.* quarum formularum illa ad totam litis contestationem, haec ad eius partem videtur pertinere. Quae, cum hodie ad lites, quae nunc sunt, accommodari amplius non possint, siquidem secundum Ordinem Proc. Recognitam, dilatoria citatione reum ad litem contestandam vocare, iudices prohibentur, multati 5. thaleris nonnunquam sunt, qui tali litis contestatione molesti fuerunt sententiam ferentibus. Griebner in *Discurs cit. loc. add. eiusdem princ. proc. L. I. cap. II. sect. VI. §. 2. not. a.* Etsi hoc fieri solet rarius, cum causa possit saepius non secus, ac si legitima fuisset litis contestatio, expediri, et, quae sint sensa animi in ista minus apta responsione aduocati nimis inconsiderantis, plerumque, re operosius expensa, perspicui: tamen recentissime ao. 1780. mens. Aug. iidem Scabini Lipsienses in sententia ad interrogationem Praefecti Wittenbergensis in causa S. aduersus R. quam ingrata sit in eam formam facta responsio, hac aperuerunt formula: im übrigen ist Beklagters Sachwalter dahin, daß, bey Vermeidung 5. Rthlr. Strafe, er hinsichtlich schicklicher, als fol. 21. sequ. und 66 sequ. geschehen, und nicht auf eingele Worte sich einlassen, sondern die Einlassung dergestalt, daß sie aus ganzen verneinten oder eingeräumten Sätzen bestehe, deren jeder einen richtigen Sinn enthalte, jedesmahl einrichten solle, ernstlich anzuweisen.

## IV.

Litis contestationis membra vt numeris distinguantur, vile est.

Exemplum talis distinctionis praebet ea litis contestatio, quam ad thesin tertiam integris positus eius membris addidi, in qua notae 1. 2. 3. et sequentes singula indicant responsionis membra. Non quidem, distinctionem eiusmodi ex legum praescriptione necessariam esse, affirmo. Nonnunquam tamen maluisse, legibus haec forma fuisset





fuisse praesinita. Possunt igitur aliis quoque, quibus separantur membra, uti, qui litem contestantur, notis, v. g. literis a. b. c. vel quibus libet. Sed quidam, qui res forenses agentes partes rei tuentur, omnem omittunt membrorum numerationem, veluti in hanc formam respondentes: aff. daß Kläger Beklagten sein Haus verkauft, neg. daß er es für 1000 Rthlr. verkauft, neg. daß Beklagter dabey versprochen, &c. Huius autem modi litis contestatio valde incommoda est, cum actori, tum iudici; et his, qui litem debent sententia dirimere, quin ipsi reo aliquando. Actori scilicet propter ea, quod, si quid in litis contestatione, quod vitio laborat, animadvertit, multis ipsi verborum est opus circumscriptionibus, ut indicet id caput, quod non rite videtur conceptum. Parum abest, quin adducar ad suspicandum, nonnullos ea animi intentione numeris non distinguere litis contestationem, ut actor, vel ipse iudex, vitia ipsius difficiliter notare queat, et ipsi, quae fraude forsitan facta sunt, occultant. Sed his quoque, quibus sententia causam dirimendi negotium datum est, vehementer talis molesta est responsio, non ob eandem solum, propter quam est actori, rationem, sed etiam, cum, iureiurando delato ab actore, membra negantia ab affirmantibus non bene distingui, et illa, quae iureiurando confirmari volunt, in sententia nominari, siue accurate describi non possunt. Per istos scilicet numeros singula litis contestationis membra quoddam quasi nomen accipiunt, quo per totam litem sine ambagibus, et certius, quam villo alio fieri potest modo, describuntur. Quamobrem, etsi nulla in libello insit iurisiurandi delatio, tamen in progressu litis, usque ad ipsam, qua causa plene definitur, sententiam aliquando incommoda et incertum quoddam ex illa litis contestatione possunt emanare. Cum igitur, si a contrario argumentamur, manifesta sit utilitas eiusmodi distinctionis, numeris ad membra litis contestationis additis, quam commendavi, quam etiam amant, qui in libris suis exempla litis contestationis prodiderunt, ut Kaestner in *del. proc. cap. XVI. §. 1.* Barth in *hod. for. cap. I. §. 36.* Knorr *Anl. zum Proc. VI. Hauptst. §. 8. not. e.* Königl. *pract. practic. P. II. ad cap. XII.* sub tit. *formula lit. cont.* et alii, ei ut omnes adhaerescant, optandum est, qui reorum in causis controuersis in se suscipiunt defensionem.





Wittenberg, Diss., 1781-82



f


Sl.

✓ Dn 8









DE  
LITIS CONTESTATIONE  
CAPITA QVAEDAM

QVAE  
PRÆSIDE  
D. ERNESTO GODOFR. CHRISTIANO  
K L V E G E L

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

DIE XXIII. MART. A. R. S. MDCCLXXXII.

H. L. Q. C.

PVBLICA DISPVTATIONE

DEFENSVRVS EST

IOANNES CHRISTIANVS AVGVSTVS THILO  
LONGOSALISSA THVRINGVS.

WITTENBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.